

ipsum beatum Remigium á demonio liberate. Arelas autem in placenti planicie supra ripam porrecta Rodani meruisset quidem dici multiplici felicitate iocunda, si non foret assiduís fere ventorum agitationibus inquieta. Unde fertur quod Constantinus imperator, primus imperatorum cristiane¹ fidei propagator, cum cristianus effectus beato Silvestro eiusque successoribus civitatis Romane dominium tradidisset, imperii sublimare solio solam Arelátem pre ceteris civitatibus elegisset, nisi soli gloriam ventorum importunitas minuisset. Huius civitatis menibus adiacent, qui sunt et dicuntur aridi campi², quos famosos et consideratione dignos efficiunt antiquorum insignia tam monumenta, quam gesta Francorum, illic in prelio peremptorum a cristiane legis exlegibus inimicis, quos statim propicia facta divinitas armipotentis Francie viribus ab isdem finibus extirpavit. Hinc placuit orationis gratia faciente sancti castrum et ecclesiam Egidii visitare, cui glorioso Dei amico magna veneratio, multa devotio, prout decet á fidelibus, ad eius implorandum ibi subsidium catervatim confluentibus exhibetur. Castrum hoc in capite situm est inferioris Provincie, que á superiore, cuius est Árelas caput, Rodano intersecante divisa, Narbonam habet metropolim, et Francie pertinet ad coronam. Princeps regionis istius habetur illustris triplicis vocabulo dignitatis, nam et marchio Provincie, Tolose comes palatinus et dux dicitur Narbonensis. Superioris vero Provincie trans Rodanum, cuius est Arelas caput, supra littus maris, quod Sardiniam spectat et Corsicam, extenditur principatus ad usque Genuensium colles, et sub imperio continetur. At nos de castro S. Egidii redeuntes Árelátem et Áreláte profecti, venimus ad quoddam oppidum, Fos appellatum, eo quod ab exulibus Grecis Focensibus iuxta predicti littoris oram fuerit antiquitus institutum. Quod á tergo ponentes, post Rodani superbiam, precipitis impetum Isare, litigiosi Druentie minas, denique post aspera iuga Burgundie, post saxose claustra Provincie, tandem attigimus urbem Massiliam et in ea portum navigiis opportunum, sub amplexu rupium violentiam excludente ventorum. Hanc etiam Greci Focenses, de quibus prediximus, extruxerunt, et eam Massiliam, tamquam supra mare sitam, vel ut alludam appellationi³ vulgari, quasi maris situlam, quia marinis est inclusa faucibus, vel á conditore Massilio vocaverunt. Hec salvo pacis honore, quo nunc fruimur apud ipsos, Pelasgam ab antiquo redolere perfidiam perhibetur; nam quod Romanis quondam triumphatoribus opes infinitas ex Gallorum spoliis adquisitas, quas ab urbe Tolosa transvectas gratia perferendi Romam eis commiserant propter fedus quod inter se

1) So ist hier an beiden Stellen wiederholt ausgeschrieben, sonst immer abgekürzt. 2) Jetzt Aliscamps. 3) 'appellatione' fol. 129 v.